



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 10. Joanna Graja, ejus Maritus, Viatus illius Pater, pluresque alii extremo supplicio sublati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

versus Viatum destinasse dicatur, qui- **Sæcul. XVI.**
 nimo de ejus rebellione tum primum ru- **A C 1554.**
 mor esse cœperat, postquam quædam
 intercipiebatur Viati epistola, in qua
 hic Ducem, ut pro viribus suis rem ma-
 turaret, rogabat, eumque certiozem red-
 debat de causis, ob quas præmaturæ
 seditionis consilia exequi fuisset com-
 pulsus. Acceptis hisce literis Regina
 Huntingtonium Comitem cum equitatu
 præmiserat, dato negotio, ut Ducem ut-
 pote jam antea de perduellionis crimine
 damnatum insequeretur. Suffolciæ Dux,
 cum toto vitæ suæ tempore ignavus
 esset, præcipue hac in occasione omnino
 animo dejectum sese exhibebat; quip-
 pe tam segniter populos ad arma capes-
 senda sollicitabat, ut nequidem susce-
 ptum consilium prosequi ultra auderet,
 sed ab omnibus derelictus, pecunias
 inter suos distribueret, atque in rustici
 domo delitesceret, a quo tamen, seu
 metu, seu præmii spe corrupto proditus,
 atque in Huntingtonii potestatem tradi-
 tus, ac ab eodem die undecima Februarii
 ad Londinensem Turrim abstractus fuit.

§. X.

*Joanna Graja, ejus Maritus, Via-
 tus illius Pater, pluresque alii
 extremo supplicio sublati.*

B 3

Postre

Sæcul. XVI.
A.C. 1554.

*Burnet hist.
de ref. l. 2.
tom. 2. p. 407.
Thu. l. c.
Spond. hoc
ann. n. 1.
Sleid. l. 25.
p. 939.*

Postrema hæc conjuratio Joannæ Gra-
jæ Suffolciæ Ducis Filiaë, Gilfordo
ejusdem Marito, imo & ipsi illius Patri
extremam attulit perniciem; præ cete-
ris vero prior Gilfordus capitali senten-
tia damnabatur, & postea eadem die
duodecima Februarii Joanna mortis sup-
plicio afficiebatur: ubi tamen prius Ma-
riti sui cadaver prætervehi conspiciebat;
cum is recens capite plexus in Turris
Sacello sepeliendus deferretur. Cete-
rum Joanna tum nonnisi septendecim
annos nata cum ingenti animi firmitate
mortem subibat, tanquam pœnas luens
criminis, cujus non tam ideo rea
erat, quod regnum alienum affectasset,
quam quod oblatum constanter non re-
cusasset, ceterum quamvis contenderet,
quod sua illam ignorantia apud homi-
nes salvis legibus excusare posset, gra-
tes tamen rependebat Deo, quod illam
hoc iræ suæ flagello ad erroris sui cogni-
tionem reducere fuerit dignatus. His
dictis pia adstantium suffragia implorans
quingagesimum Davidis Psalmum re-
citabat, ac puellis illius pedissequis eam
adjuvantibus ipsamet sibi comam solvit
& rejectis ante faciem suam crinibus cer-
vicem suam ligneo trunco imposuit, eam-
que feriendam carnifici præbuit, hæc
pronuntians verba: *In manus tuas Do-
mine commendo Spiritum meum.* Verum
carni-

carnifex subito terrore correptus non-
 nisi tertio ictu caput a corpore separare
 poterat. Difflebant lacrimis ad hoc
 spectaculum adstantes, ac populus in
 cunctos Judices, qui ad illius mortem
 conferebant, convitia effundebat: Mor-
 ganus vero, qui capitis sententiam pro-
 nuntiaverat, phrenesi correptus hanc
 foeminam ex suis oculis dimoveri con-
 tinuo petens vociferabatur. (*) Die
 decima septima ejusdem Mensis Suffol-
 ciæ Dux Joannæ Pater ad mortem dam-
 natus die vigesima prima capite plexus
 est, de hoc summopere dolens, quod
 Filix suæ mortem ambitione sua pro-
 curasset.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1554.

§. XI.

*Elisabetha Regina comprehensa, at-
 que ad turrim abducta.*

Postmodum judicii acta adversus Via-
 tum instruebantur, quamprimum
 igitur hic coram judicibus comparebat,
 B 4 vitæ

Sleidan.
 comm. l. 25.
 p. 941.
 Burnet l. 6.

(*) Hanc in rem Continuator allegat Spon-
 danum, Thuanum, Sleidanum, & Burne-
 tum, sed hi tres primi de Morgano nullam
 omnino faciunt mentionem, hinc mirum,
 quod Continuator Burneti commenta ad con-
 flandam Mariæ Reginae invidiam excogitata
 tam avide absque ullo alio teste transcribere
 voluerit.